Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 853
Quelle:
Copyright:

prac. T. IV. P. 1. *col.* 14. et tandem: *Expliciunt — plene ſalutaribus miſterijs.*

II. *fol.* 133. Expoſitio Decalogi ſequitur, cujus initium: *Audi iſrael precepta domini* &c. *In verbis propoſitis ſpiritus ſancti circa diuina precepta tria ſunt conſideranda* &c. Pertinet Tractatus hic ad *Henricum de Vrimaria* O. Erem. S. *Aug.* ut pluribus actum *Vol.* I. P. 2. *col.* 1547. et alias. Ad calcem minio: *Explicit expoſicio X. preceptorum*, Autore nullibi adpellato.

CCCLXXXIII.

R. 3304 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 155. f. maj. charactere luculento magnifice exaratus, rubroque diſtinctus B. *Gregorii M. XL. Homilias in Evangelia II. Libris* comprehendit, ut in Edit. *Maur.* T. I. *Pariſ.* 1705. *col.* 1434. f. Ab hac Editione diſcrepant in Prologo *prolocutus* pro *ipſe locutus*, *certa enuntiatione* pro *certa notatione*, *quo dictatae ſunt* pro *quo dictae ſunt*, *ſcriptae inveniuntur* pro *ſcriptae ſunt inveniuntur*, quae ſaltem tanti ſunt, quanti lectio recepta. Praeterea συγχρονος aliquis Prologi principio gloſſas teutonicas imponere coepit: Expoſui *irracta vel ſageta.* dictata *gitictota.* notarium *ſcripun.* recitata *gileranti.* explanationem *urrechiza.* excepta *inpbangan.* emendatione *ribtunga puoſteti*; mox vero illum taeduit. Librum quemvis *Homiliarum* praecedit Syllabus, ubi obſervo, Libro priore poſtremas *Homilias* ita collocari: XVII. XVIII. XIX.

In Codice	In Editione
In Explanatione.	*Dominus et Salvator.*
Dominus et Salvator.	*Penſate Fratres.*
Penſate Fratres.	*In Explanatione.*

Lectio ceterum ſincera eſt, neque perperam in *Hom.* I. verbis: *Scitis, quam frequenter audivimus*, additur: *et pene cottidie audimus*, quod Editores in ſuis Codicibus inveniſſe non videntur.

Fol. 135. p. 2. Sequitur Carmen παραινετικον de ſtudio Virtutum, Vitiorum fuga, Peccatorum poenis et Juſtorum praemio, quod infit:

Suſcipe uerba tui preſul venerande fidelis.
Suſcipiens audi, quod ſtridet fiſtula plumbi.
Ipſa ſonat raucum, ſed pondus habet grauitatis.
Magna legens, maiora videns ſcrutare minuta.
Nam libet interdum puerorum ludere trocho.
Collige de ſpinis flores carpendo roſarum. &c.